



V, 82.

2.417a



CVRIAM
REGNITIANAM
NON. NVLLO. IVRE
HERMVNDVRORVM
COGNOMINANDAM
DISSERIT. XI

VT
FRIDERICI. FRIDERICAE. Q

AVGG

PATRIAE. PARENTVM. OPTIMORVM

NOMINALEM

ID. MART. BIDVO. POST. A. R. S. CXCIOCCXVI

DEBITA. PIETATE

IN

ALBERTINOFRIDERICIANO

PRIVS. QVAM. INDE. IN. ACADEMIAS. DISCEDANT

CELEBRATVROS

BENEVOLE. AVDIENDI. CAUSA

CVRIAE. PROCERES. CIVES. Q

QVO. DECET. CVLTV. EAT. CONVOCATVM

CVRIANI. RECTOR

PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS

A. M. FAC. PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. IENENS. LATIN. SOC. HONORARIVS

CVRIAE. REGNITIANAE

LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII

GYMN. TYP

Interfectio II.
 QUID HERMVNDVROVRVM NOMEN MIHI
 SIGNIFICET ?

Qui iam ex superioribus intellexisti, cardinem totius negotii versari in enodando extremo huius nominis; a me videris exigere, vt ante omnia veram notionem DVRI excutiam, deinde, vt, quo pacto ea in HERMVNDVROS quadret, doceam.

Pars prior.

QUID ILLVD DVROVRVM SIGNIFICET ?

Index dictorum.

- | | |
|--------------------------------------|-------------------------------------|
| §. I. Est DVROVRVM. | §. VII. Pro <i>ianua</i> . |
| §. II. In locis ad flumina. | §. VIII. Pro <i>turri</i> . |
| §. III. Ipsum fluminum nomen. | §. VIII. Num et in gentium nomine ? |
| §. IIII. Confulto. | §. X. In SOLDVRIIS et BARDORIBVS. |
| §. V. Pro <i>aqua</i> . | |
| §. VI. Pro locis ad <i>flumina</i> . | |

§. I.

Quae hac tenus 1.) adtuli, non legerit, qui non sentit, quod quidem diuortium 2.) scribentium, DVROVRVM propius atque penitius inspiciendum esse. Nosse autem aueas, quid sibi velit hoc antiquissimis Germanorum adeo adamatum. 3.)

§. II.

Si me secutus es loca, quae adii, inueneris fluminibus adposita.

§. III.

Quot autem per ipsas illas terras fluunt flumina, quibus illa loca? Est I. in Heluetia DVRA, THVRA, TVRA, immo et I.) TVRISEO, hodie THVR, vnde 2.) adiacens pagus DVROVRVM siue TVRgorve, 3.) ortum capiens in monte Scalberg et in Rhenum infra lacum

- | | |
|--|--|
| 1.) Interfectione I. per binas partes. | Tom. I. Febr. p. 513. |
| 2.) Quod exponit eiusdem ratione reddita cum Sect. II. §. VII. et VIII. tum principium eiusdem Interfectionis. | 2.) Auctore Walafrido Strabo de Miraculis S. Galli Lib. II. Cap. I. apud Goldastum <i>Rer. Aleman.</i> Tom. I. p. 163. |
| 3.) Vt iam Albinus Chron. Misen. Terr. Tit. XI. p. 155. obseruauit. | 3.) Vt me iam supra Int. I. parte priori §. II. submonuit Abbas Gottwicensis Lib. III. N. CXXXVIII. p. 581. |
| §. III. 1.) Henfchenii in Actis SS. | |

cum Bodamicum inferiorem effluens. 4.) Fontes porro in iisdem Alpibus, quae II. Galliam ab Italia dirimunt, duorum fluuiorum, qui DVRIA nominantur, 5.) vel iam accolis nomine DORIA noti, 6.) Uterque in Padum adfunditur, maior DVRIAS quoque dictus, 7.) qui Eporediam defertur, minor 8.) ad Augustam Taurinorum regiam Sardois regis. 9.) Non multum ab huius fontibus oritur *Druentia*, 10.) iam *DVRance* hodiernum Embrun adluens et forte olim DVRENTIA dictus 11.) ab ignaris, quid DVR incolis, 12.) transposita vnica litera *r* iis inuitis pronunciatus. 13.) THVRA, TVRVS, vulgo DVR siue TVR, THVR, 14.) Alfatiam a Suntgauiadiuidens

Q²

4.) Discas id ex Stumpfii Chron. Heluet. Lib. V. Cap. XVIII, p. 361. Iunker Geogr. Med. Aeu. P. II. Cap. V. p. 216. Scheuchzeri Hist. Nat. Heluet. P. II. p. 89.

5.) Apud Plinium Hist. Nat. Lib. III. Cap. XVI.

6.) Indice Cellario Not. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. VIII. Sect. I. §. XXXVIII. et Wachtero Gl. Germ. v. *Dur* p. 324. quibus addas Sommerum de Rega. Vannian. Cap. III. §. 4. in nota.

7.) Straboni Γεωγραφ. Lib. III. p. 312. 314. Lib. II. p. 332. et Ptolemaeo.

8.) Cuius cum nulla in Strabone mentio, videtur Casaubono ad Strabon. p. 332. Geographum Δρουεντίαν siue ΔΟΥΡΕΝΤΙΑΝ nominare istum. Sed fallitur, quia Strabo Lib. III. p. 312. et Duriam et Druentiam suos definit ita: "Ανα ἐν τισὶ καίλοις χωρίοις λίμνη τὴ συνίσταται μεγάλη, καὶ πηγαὶ δύο οὐ πολὺ ἀπώθεν ἀλλήλων· ὧν ἐκ μὲν τῆς ἐτέρας ἐστὶν ὁ Δρουέντιος ποταμὸς χαλαρῶδης, ὡς ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν κα-

τάτῃ· καὶ ὁ Δουρίας εἰς τανατία· τῶ γὰρ Πάδῳ συμμίττει, κατενεχθεὶς διὰ Σαλασσῶν εἰς τὴν ἐντὸς τῶν Ἀλπεων Κελτικῆν.

9.) Vt Cellarius docuit.

10.) Strabonis modo descripti, vt et Lib. III. p. 270. 282. et Lib. V. p. 332. aeque ac Linii Hist. Rom. Lib. XXI. Cap. XXXI. n. 9. et C. XXXII. n. 6. Siliique Italici Punic. Lib. III. vs. 468. seqq. Adde Inscr. apud Gruterum P. CCCXIII. n. 4.

11.) Quam quidem coniecturam Casauboni nota 7. paullo ante proposita non plane nullam esse, recens nomen arguit.

12.) Quibus quid fuerit, monstrabit mox §. V.

13.) Testatur autem Wachterus in Prolegom. Gl. Germ. Sect. III. sub Merathesti, nihil frequentius esse literae *r* transpositione.

14.) Meriani Topogr. Alfat. p. 12. Ichtersheimii Topogr. Alfat. Super. P. II. p. 8. P. P. Aguille Hist. Alfat. Tom. I. Lib. VII.

diuidens, et infra Colmariam in fluuium Illum se se immergens, nomen dedit accolis, TVRensium, 15.) vnde pagus TVRgowe 16.) cum DVRgowe Heluetiorum 17.) non 18.) confundendus. 19.) Est III. in Hispania vnus ex maximis fluuiis DVRIus, 20.) DVRIas, 21.) DORIus, 22.) DORIas, 23.) et tironi nomine DVRO vel DVERO 24.) abunde notus. Alius est TVRIus 25.) TVRIasue, 26.) cui quia 27.) Valentia adponitur, quaesueris eum iam quidem in flumine *Gualauiar*. III. Ex montibus 28.) τοῖς ὑπερκειμένοις τῶν οὐνδελικῶν ὁ ΔΟΥΡΑΣ -- ποταμὸς -- συμβάλλουσιν εἰ τὸ τοῦ Ἰστροῦ ῥεῖθρον. Differt igitur multum a TVRRO, 29.) qui Aquileiam in ruderibus ab Attila factis cum maxime fatis notam praefluit. Sed et in Plinio 30.) leges: *Campi et plana Iazyges Sarmatae: montes vero et salus pulsi ab his Daci ad Pathisum amnem a Moro, siue is DVRIA est, Suenis regnoque Vanniano dirimens eos.* Verba haec: *siue is Duria est*, absque dubio scribentium vitio in textum irrepsisse, existimat Sommerus, 31.) quae quis forte in margine addiderat. Vellem, vt simul indicasset,

15.) Fredegarii Chron. C. XXXVII.

16.) Vitae Columbani Ioniae.

17.) De quo supra Interfect, I. Parte priori §. II.

18.) Vt confuderunt Valefius Not. Gall. v. *Turenfis*, Coinius, Paullini de Pagis p. 222.

19.) Post quam secreuit R. Abbas Gottwicensis Chron. suo Lib. III. N. CCCXVI. p. 323. in viam, a qua iam N. CXXXVIII. p. 582. praeflantissimi huius operis illis se se abduci permiserat, reductus a laudato R. P. S. I. l' Aguille.

20.) Strabonis Lib. III. p. 229.

253. Plinii Hist. Nat. Lib. III. Cap. XX.

Melae de Sit. Orb. Lib. III.

Cap. I. Silii Italici Punic. Lib. I. vs.

234. 437. et Lib. V. vs. 323.

21.) Strabonis Lib. III. p. 228.

et 245.

22.) Appiani Ῥωμαικ. Ἱστορικ. p. 482. et 500. Ptolemaei Περιγησι. ἸΦηγησι. Lib. II. Cap. VI.

23.) Agathemeris Ἰποσηπ. Γεωγραφ. Lib. II. Cap. X.

24.) Vt docuit Oliuarius ad Melam citatum.

25.) Plinii Lib. III. Cap. III.

26.) Ptolemaei Lib. II. Cap. VI.

27.) Ex Plinii indicio.

28.) Plinii Lib. III. Cap. XVIII.

29.) Vt ipsa Strabonis verba ex eius Geographiae Lib. III. p. 317. adponam, quo excitem geographiae studiosos ad expiscandum hoc flumen.

30.) Hist. Nat. Lib. III. Cap. XII.

31.) In Regni Vanniani Cap. III. §. 4. nota subiuncta.

set, qua de causa ea quispiam in margine addidisset, Videat, an in hac disputatione rationes inueniat. 32.)

§. III.

Adhibitumne autem fuerit idem nomen tot regionibus gratuito? Non crediderim, tamen crediderint, quibus familiare, non in corde nata eloqui, sed quidquid in buccam venit. Maioribus alius erat mos.

§. V.

Vel hodie perennat 1.) apud Hibernos 2.) et Britannos 3.) item Celtas 4.) DVR, apud Armoricos 5.) DVR vel DOVR, apud Cambros 6.) DWR pro *aqua*. 7.) Inde 8.) Vandalis ODER, Cimbris *EiDER*, qui fluminis in priscis monumentis 9.) *EiDORA* seu *EgiDORA* vocatur, Cheruscis *WeSER*, immo Germanis in vniuersum *WasSER*, quippe quod Belgis cum primis *WaTER*. Quae enim literae frequentius inter se commutantur, quam *s* et *t*? 10.) Nec vllam facile reperieris commodam rationem, ob quam nauigia *fluminitia* 11.) *DVRcones* et stationes *nauium* 12.) *DVRica* medio aevo fuerint dicta.

Q 3

§. VI.

32.) De *Moro* autem vel *Maro* quaedam supra Cap. I, Sect. I, Int. II, §. II. nota 7.

§. V. 1.) Quod animaduertat Wachterus Gl. Germ. v. *Dur* p. 323.

2.) Teste Tolando Lex. Harm. Ling. Hibern. et Armor. h. v.

3.) Teste Giraldo Cambrensi Itin. Cambriae Lib. I. Cap. VIII. Adde Buchananum Rer. Scot. Lib. II. p. 64. Cellarium Not. Orb. Antiq. Lib. II. Cap. III. §. XXXVIII. et Wesfelingium ad Antonin. Itiner. p. 361.

4.) Interprete eodem Giraldo, item Wesfelingio p. 361. 367.

5.) Testibus Tolando, Boxhornio v. *Dwfi* et Pezronio Antiq. Celt. p. 386.

6.) Quod volunt modo nominati.

7.) Isti vero explicationi album calculum adiecit Cel. Popouius ad Soc. Cosmograph. p. LXVI. cuius iudicium in eius modi re patria quo subactius, eo maiorem creat fiduciam.

8.) Coniectore Wachtero eodem. 9.) Teste Spenero Not. Germ. Ant. Lib. II. Cap. XII. nota (x)

10.) Adi hanc in rem Wachterum Prolegom. Sect. III. sub *S* et *D*.

11.) Apud Abbonem de Obsid. Paris. Lib. I. adductum a Cangio Gl. Med. et Infim. Latin. h. v. Tom. II. p. 207.

12.) In *Isidori* Glossis teste eodem Cangio.

§. VI.

Oppidis igitur prisca illud adleuerint, vt indicarent, ad *aquas* esse posita. 1.) Hinc durat adhuc in terris Iuliacis *DVRstede*, 2.) hinc *DVRstede*, 3.) id est, *oppidum ad fluiuium*.

§. VII.

Cui id non arridet, pro *ianua* habeat, 1.) qua vel vt *transeas* 2.) siue vado, 3.) siue ponte, siue etiam nauis ea de causa ibi habitata. Quis est autem, cui non in Germanis superioribus 4.) auditum *thure*, in inferioribus 5.) *deure*, in aliis 6.) *doere*, in Anglis 7.) *dore* vel *doore*, in Anglosaxonibus 8.) *dora*, *dure*, *duru*, in Francis et Alamannis 9.) *duri*, *thuri*, in Sorabis 10.) *duri*, in Islandiae incolis 11.) *dyr*, in Suecis 12.) *doer*, a quibus omnibus vix latum vnguem discedit 13.) *thor*? Et qui aliter id esse queat, modo conuincere, 14) haec

- 1.) Ita censent Cluuerius Germ. Antiq. Lib. I. Cap. VII. p. 52. Cap. VIII. p. 54. et Lib. II. Cap. XVII. p. 408. V. Cel. Wesfelingius p. 373. 435. 470. Wachterus v. *Dur* p. 324. Cel. Schoepfelinus Vindic. Celt. §. LVIII. p. 119.
- 2.) De quo satis nuper Interf. I. Parte posteriori §. VII.
- 3.) Vt de hoc §. VI.
- §. VII. 1.) Vt etiam habuit Cluuerius priori loco, et curatius monstrauit Eccardus ad Leg. Salic. Tit. LXI. p. 104. ex Kiliani Lex. Etymol. v. *DEVRpel* et aliquot glossis. Inde sua transtulit Wachterus v. *Thur* p. 1687. quam quam haud nominet, cui ea debet. Conferas Cangium I. c.
- 2.) Sic de transitu fluminis interpretatur Cellarius Lib. II. Cap. III. Sect. VIII. §. CXVIII.
- 3.) Quem ad modum senserit Wesfelingius p. 470.
- 4.) De quo plura quaeras in Wachteri Gl. v. *Thur* p. 1686.
- 5.) Indice Cluuerio.
- 6.) Eodem Cluuerio auctore.
- 7.) Aequè doctore Cluuerio, immo potius Boxhornio Lex. Brit. atque Wachtero p. 1686. seq.
- 8.) Vt obseruauit Wachterus p. 1686. seq.
- 9.) Magistro Wachtero h. v. p. 1687. Inde in lege Salica Tit. LXI. *DVROpellum palus liminaris*, quae nobis adhuc *THVRschwelle*, vt argute disputat Eccardus modo laudatus.
- 10.) Quod idem Germanorum Aristarchus docet.
- 11.) Vt et hoc.
- 12.) Ab eodem Wachtero.
- 13.) Consulas Wachterum harum rerum peritissimum v. *Thor* p. 1685. submonitum forte a Kirchmeiero de Lingua Scythoceltica et Gothica P. III. §. 4.
- 14.) Adfero hoc fretus auctori-

haec cuncta esse ex *door*, quod adhuc Belgis *transitum per locum* indicat, quem ad modum nostratibus *durch*. 15.) In diuortio scribentium per *d* vel *th*, non est, quod haereas. 16.) Hoc voluisse puto, qui Heluetiorum *VituDVRVM* 17.) per *WinterTVRVM* vel *WinterTHVR* reddiderunt.

§. VIII.

Immo supra 1.) legeris, esse, 2.) qui illud *WinterTHVRN* hodie vocari scribat. Nec *SoloDVRVM* eorumdem adeo degeneravit, si recentiores id *SoloTVRN* nominant. 3.) Sane est 4.) quoque, cui *DVRVM* illud *turris* indicat. Respexerint autem vel ad *TVRM*, *TORN*, 5.) quod nostro aevo cum aspiratione *THVRN* enunciat, quae fere nullam facit differentiam; 6.) parum differt quoque ab illa scriptura, cum *Armoricis rwr*, *Anglofaxonibus TOR*, *TORR*, *TORRA*, *Hibernis TOR*, *Anglis TOWER*, *Belgis TOREN*, *Succis TORN* et *Gallis TOVR* scribitur. 7.) Vbi vero *turrium* locus est frequen-

tate Gasfari glosae Otfridinae apud Eecardum l. c. et Wachtero v. *Thur* p. 1636.

15.) Quod ipsum adhuc per *Saxoni*am inferiorem *DVR* et per *Belgium* *DOOR* scribitur auditurque, vt *Anglofaxon*es, *Francos* et *Alemanos* *priscos* iam non ab *orco* reuocem, quibus omnibus vix *literae* vnus *disfidium*. Conspicias autem *diuerfas* has *dialectos* in vna *tabella* apud *Wachterum* v. *Durch* p. 325. item in *acutissimis* *Greifswaldensium* *Observationibus*, quas ex aliquot *annis* *cessare*, *valde* *doleo*, in *Lingua* *Germanicam* P. III. N. III. §. 6. p. 283. vbi simul indicatur, *Saxones* *inferiores* quoque *doerch* *amare* pro *durch*.

16.) Cum in eo iam ne *pueri* quidem *haerent*, satis *edocti* a *Cluuerio* Lib. I. Cap. VII. p. 52. *Cel. Gottschedio* Gr. Teut. Cap. III. §. 36. *Wachtero* Gl.

Germ. Prolegom. Sect. III. sub D. in *Beytrag. zur Critisch. Hist. der* *Deutsch. Sprach. der Deutsch. Gesellsch. in Leipzig* P. VIII. p. 38.

17.) Cuius *memineris* ex §. II. *partis* *posterioris* *Interfect. I. huius* *Capitis*.

§. VIII. 1.) Cap. II, Sect. II, Int. I. P. II. §. II. not. 22.

2.) *Guillimannum* *Rer. Heluet. Lib. I. Cap. III. n. 26.*

3.) Vt *videas* *paullo* ante *Interf. I. Parte* *posteriori* §. II.

4.) *Idem* *Guillimannus* n. 30.

5.) Vt *quidem* *vult* *Schottelius* de *Nominibus* *propriis* *veterum* *Germanorum*, qui *Tractatus* *est* *additus* *eius* *Operi* *de* *Lingua* *Germanica* *Lib. V. p. 1034.*

6.) Quod iam *priori* §. *constat*.

7.) Quorum *spicilegium* *instituit* *Wachterus* v. *Thurn* p. 1688.

quentior, quam in *transitu*, ne hosti liceat quaqua versum vagari? 8.) Haec Cluverius nesciuerit, alioquin non scripsisset, 9.) longe eos a veritatis scopo aberrare, qui DVRVM idem ac TVRN esse volunt.

§. VIII.

Fac, nullum auctorum productorum gentem nominare, quae in DVRI desinant; non dum tamen euiceris, ita non dictos fuisse incolas, quorum sedes in DVRVM 1.) desinebat? Defuerit auctoribus istis occasio ita inclinandi.

§. X.

Non tamen omni exemplo carueris, si ad *Sol/DVRIOS* respexeris. Quem autem latet, quam isti exercuerunt interpretes Caesaris? 1.) Huic soli enim memoriam eorum debemus. Quae doctiorum 2.) coniecturae, hic nimis longum foret enumerare. 3.) Non autem existimauerim, inter se pugnare, istos fuisse Adcantuano, vel quodcumque ei nomen fuit, 4.) deuotos, 5.) et tamen ab eo ibi constitutos, vt *transitum* 6.) Caesari prohiberent, quod est militum praefidiariorum, qui in statione sunt, aut fines tuentur, qui nostratibus *Grenizer* adpellantur, 7.) Istitis enim viris, de quibus Caesar, *epulae et quam quam incomiti, largi tamen apparatus, pro stipendio cede-*

8.) Sane Loeschero in *Literatore Celta*, quod in *Lipfensium Symbolis ad Linguam Germanicam* P. III. p. 224. animaduersum fuit, DVR est *vrbs munita*.

9.) Lib. I. Cap. VII. p. 52.

§. VIII. 1.) Qualia proposuit multa Pars posterior Interfect. I.

§. X. 1.) De Bell. Gall. Lib. III. Cap. XXII. n. 1. a quo parum discedit Athenaeo *Δειπνοσοφ.* Lib. VI. Cap. XIII. citatus Nicolaus Damascenus, cuius *Σιλόδογγοι* ex Eustathio defenduntur aduersus Ciacconii *Σιλόλουνοι* a Casaubono Anim. p. 436.

2.) Cluverii Germ. Antiq. Lib. I. Cap. VIII. Pezronii Ant. Celt. p. 436.

Martinii h. v. Wendelini de Natali Solo Legum Salicarum Cap. XI. Boxhornii Orig. Gall. Cap. III. Schilteri Glosf. Teut. p. 750. Wachteri Gl. Germ. h. v. p. 1534. seqq.

3.) Quo etiam superledere possum, postquam a Wachtero l. c. in vna tabella fuerunt propositae conspiciendae.

4.) Variant enim codices multum, vt fit in nominibus istis, quos ego inspexi.

5.) Vt audiunt Caesari.

6.) Quod DVRVM indicare, abunde docui §. VII.

7.) Quam in rem consulas Lunkerum Geogr. Med. Aeu. P. II. c. I. p. 102. seqq.

cedebant. 8.) Quid vero hoc aliud, quam nostrum *fold*? 9.) *BARDORES* 10.) autem huc referre, ambigo, quia natio Hunnorum. 11.)

Nec aliter se habet cum Hermunduris. Id tamen proxime, cum fere modum excesserim veniam praesantis quibusdam bona pace in academias celeberrimas proficiscentibus. Quod autem itineris sui lactius caperent augurium, quam quando nomen OPTIMORVM nostrorum PRINCIPVM Musis immo communis patriae tam auspiciatum nos submonet, vota pro IISDEM nuncupare debita pietate?

GEORGII IOACHIMI FRANKII nostratis musa Klopstokiano, qui iam quoque multorum, genio canet, quod ipse expertus est, *saluo principe bono adversa cuius generis cumque esse tolerabilia.* Quae hic, quod est adolescentis industrii, non contentus vulgari studendi ratione, in auditorio nostro omnium primus molitur, aequi bonique censum iri sperat exemplo Plinii, quin optimos quosque sibi ad imitandum proponeret. Et qui portus praecludatur illi, qui eum iam bis ingressus est aura secunda, cum in Martinalibus anni MDCCCLIII. carmine heroico

Latino laudaret *Ioannem Hussum*, et binis annis post Latine inquireret, *D. Mauritius Saxoniae septemvir armis an pace, quae eo defuncto de religione Augustae Vindellicorum ante duo secula posita, fuerit maior?* Flet autem eadem aura secunda velis eius, qui immatura morte patris sui Ioannis Christophori, dum vi-
 ueret, probi civis atque pistoris, iacturam grauisissimam fecit, quo tamen se a gymnasio patrio abstrahi non passus est, quin eius magistris tam assiduam, quam pauci, daret operam, qui domi optimos libros diurna nocturnaue versabat manu, quod eius prompta responsio atque scriptura docebat. Respondeant votis nostris P. C. et Philuraeae et Rednitianae, quarum utramque rerum diuinarum hauriendarum causa adibit numis plane egenis, sed tamen confusus, a summo numine non derelictum iri, in cuius cultu haud facile defuit vel publice, si alii desissent.

R

IOANNEM

8.) Quae sunt verba Cornelii Taciti de Morib. Germ. Cap. XIII.

9.) Quam in rem evoluas Wachterum nostrum h. v. p. 1532.

10.) Iornandis de Reb. Goth. C. LIII.

11.) Vt pronunciat Illustrissimus Comes de Bunau Hist. Germ. Imper. P. I. Lib. II, p. 574.

IOANNEM ADAMVM RENNEBAVMIVM iungit et natale solum et miserabile fatum patris olim V. Iuris Peritissimi Ioannis Gottofredi Curiae nostrae Senatoris Amplissimi, relicta coniuge Femina Honestissima sed de educanda prole sua numerosa iusto sollicita, cum primis hoc suo sine vllis subsidiis aliorum earundem academiaram scholas, quas aperuerunt Iuris Antecessores, adspirante. Cum autem Deus non deserit probos, is quoque patefaciet patronorum corda, dum tenaciter terebit tramitem, quem per octo annos apud nos tenuit, Quot elaboranda proponebantur, tot promptius et curatius exhibuit pro documento adfidui studii et coram praecceptore et eodem remoto. Senferunt idem, qui eum audiebant publice in Martini memoriam *Lutherum inuictum heroem* anno MDCCCCLII. Latine, et anno post FRIDERICI *sibi CLEMENTISSIMI artium optimarum singularem peritiam* in eius natali quadragesima quarta non tam celebrantem, cui enim tanta eloquentia, quam leui penicillo adumbrantem. Nequam igitur in ore sed in corde natus est eius *ICTUS athenis*, quem rogatum iam in scenam producet.

SIGISMVNDI HENRICI LAVRENTII fors tantum abest, vt sit benignior, quippe qui iam quatuor abhinc annis amisit patrem eo vsque Diaconum Bobenneukirchae in vicina Saxonia Vogtlandica V. Pl. R. Adamum Michaelen. Vidua eius adhuc quidem superstes, marito et omni reditu orba, non suffecisset educandis sex liberis, nisi subleuasfet Curia in Saxones meos semper munifica. Haec iis reddit post octo annos non sine successu formatum, quia nostro dicto audiens fuit. Confugit Lipsiam nostram, qua vix alia, praefiscine tamen dicam, celebrior in suscipiendis fouendisque eius modi pauperibus, modo si probi et ad inseruiendum aliis prompti, quod sibi de hoc polliceatur, qui *a puero incepit*, cuius habitus consequendi causa illuc iter suscipit, *fieri diuiniae voluntatis interpretem versatiorum*. Id autem erit iam argumentum orationis suae Germanicae, instar optimi testimonii integrioris hic actae vitae, quae requiritur, ni culpa redarguat ipsum magistrum, qualem informandis honestis pueris egit bene. Eadem autem lingua in medium consuluit, *an Herculanum visu dignum*, superiori anno pro PATRE patriae CLEMENTISSIMO Italiam tum per-

omni perlustrante vota nuncupans de pluribus quam felicissime ob-
undis natalibus. Latina dixit de *Wiclefo* cum istis suis commi-
litionibus Martini memoriam reculturus.

CHRISTIANVS ALBERTVS CHRISTOPHORVS SONTAGIVS
eosdem manes passus est, cum amitteret patrem Michaellem
Christophorum V. Pl. R. Sparneccae quondam Pastorem.
Tanto autem cautius incesit liberale nactus ingenium, vt ne
immensa voragine vitiorum atque libidinum haustus querere-
tur cum plerisque: o mihi praeteritos. Adeo bene collocavit
quinquennium, quod in hac Curiana palestra transegit, vt
et in futurum optima quaeque sperare iubeat. Idem augurati
sunt, qui eum pro rostris scholasticis bis statem conspexer-
unt, semel cum ostenderet anno MDCCCLIII, D. Martini mani-
bus sacro *paganorum ritus a coetu nostro exfulare*, alterum cum
suaderet *feminas principibus sanitatis ergo peregrinationem sub-*
monitus peregrinante CELSISSIMA patriae MATRE in eius
die natali superioris anni, hoc patrio, illud Romano ore. Iam
Graeco, *verbi diuini praeconem esse oportere ἀνεγκλιτον*, mon-
strabit, qualem pollicemur, si Fridericana ei sacros fontes
recluserit.

IOANNES GOTTLIB IOERDENSIVS felicior istis omnibus in
hoc, quod ei vterque parens optimus adhuc superstes, qui
eius salutem prospicientes habuerunt, quod eum hinc post
octo annos auocarent, et Lipsiam Themidis fontes prae-
libatum ablegarent. Eius causa erit auctor Latinis verbis
*cuicumque praegustare quaedam de Iure, si vel eidem se haud
plane mancipauerit*, quod sibi ipsi dictum habet, cuius in ma-
nus penicillum velut dedit natura nusquam otiosa. Seruet
summum Numen ei patrem optimum Virum Praenobilissimum
Christianum Fridericum Medicinae Licentiatum et vrbis nostrae
Physicum ordinarium Experientissimum, quo magis huic cu-
rae cordique est plerorumque nostrorum fanitas.

IOANNIS CHRISTOPHORI OELSCHLAEGELII erit, vt laudes
atque grates agat maximas, quod integros octo annos aleret
Curia in pauperum contubernio eum diutius alendum in
spem maturiorum profectuum, si res eius permitterent. Ex-
sequetur illud oratione ligata vernacula, vt soluta annum huius
seculi LIII, gratularus inuestigauit, *an christiana auditoria va-*
cent



cent auctoribus *paganæ superstitionis*, et Latina superiori anno in natali SERENISSIMI PRINCIPIS *curiositatem* prædicans *laude dignissimam naturæ Plinii exemplo Vesuvii aestu extinctum, cum Herculaneum sepeliretur.* Madent autem eius oculi crudo funere patris Ioannis Nicolai probi viri, molam Bobengrunæ versantis, quo cum erepti maxime sunt sumtus impendendi rerum sacrarum institutioni in academia patria, quos inueniet, si perget virtutis via, quam hac tenus truiuit, pertinaciter.

Hos publico Procerum confesfu dimittam, secus ac res postulauit duorum aliorum primi ordinis ciuium superiori anno. Nam

IOANNEM CHRISTIANVM GRVNLERVM auocabat parens V. Pl. R. Ioannes Christophorus, Artium Magister et Neilensis ecclesiae Pastor Vigilantissimus, Onoldsbacum in Carolinum illustre causa potiundi stipendii familiae Schulinianæ, ex qua adolescentis mater, cuius fratres germani in Franconia nostra meritis suis in muneribus sacris et ciuilibus splendent splendidissimis, quin immo vnus eorum paucis abhinc annis in Dania splenderet Comitis insigni.

ERDMANNVM FRIDERICVM MARTIVM mater Proba de gente Leopoldina olim florentissima iam pene deflorescente excitauit in illustre academicum gymnasium Casimirianum Coburgum, quo Perillustri Hendrichius eius vtramque prolem masculam plus quam paterno foueret adfectu orbatam iam ante aliquot annos patre Ioanne Friderico Samuele Reducianæ scholæ Rectore Clarissimo,



Yb 4473

1078

ULB Halle

3

006 302 904



20







B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

CVRIAM
 REGNITIANAM
 NON. NVLLO. IVRE
HERMVNDVRORVM
 COGNOMINANDAM
 DISSERIT. XI

VT
FRIDERICI. FRIDERICAE. Q
 AVGG
PATRIAE. PARENTVM. OPTIMORVM
NOMINALEM

ID. MART. BIDVO. POST. A. R. S. CIOCCCLVI
 DEBITA. PIETATE

IN
 ALBERTINOFRIDERICIANO
 PRIVS. QVAM. INDE. IN. ACADEMIAS. DISCEDANT
 CELEBRATVROS
 BENEVOLE. AVDIENDI. CAUSA

CVRIAE. PROCERES. CIVES. Q
 QVO. DECET. CVLTV. EAT. CONVOCATVM
 CVRIANI. RECTOR

PAVLLVS. DANIEL. LONGOLIVS
 A. M. FAC. PHIL. LIPS. ADSESS. ET. SOC. IENENS. LATIN. SOC. HONORARIVS

CVRIAE. REGNITIANAE
 LITERIS. IOANNIS. ANDREAE. HETSCHELII
 GYMN. TYP